





Google




STANFORD UNIVERSITY
LIBRARIES

Symbolae

ad

Aristotelis politicorum crisin spectantes.

Scripsit

Dr. Josephus Amsdorf.

Pars prior.



PROGRAMM

des

K. Humanistischen Gymnasiums in Landshut

für das Studienjahr 1893/94.

Druck der Jos. Thomann'schen Buchdruckerei in Landshut.

Politica Aristotelis,

quo quidem statu nobis tradita sunt, multas habere dubitationes iam pridem ab hominibus doctis cognitum est. Ad eas autem difficultates dissolvendas non levis momenti esse existimo, quomodo politica orta, composita, evulgata sint, diligentius inquirere. Quod cum politicorum commentatores parum adhuc respexisse mihi videantur, copiosius eam quaestionem ita tractare mihi proposui, ut priorum hac de re sententiis summatim examinatis qua ratione a veteribus Aristotelis cum opera potissima tum politica maxime primo edita et in libros divisa sint, accuratius exponam, deinde de singulis libris disseram. Totius vero huius disputationis spatium cum solito programmatis volumine maius sit, priorem interim partem emittere satis habeo, alteram, qua de singulis agitur libris, insequenti anno edendam repono. —

I.

Quae sententiae de pol. Aristotelis statu primariae adhuc prolatae sint.

Aristotelis politicorum et editores et commentatores ab editione principe Manutii ann. 1495 usque ad hoc saeculum omnes ad unum hic enumerare non meum est, cum iam pridem ab viris doctis aptioribus locis factum sit. cfr. inprim. Oncken: Staatsl. d. Aristoteles, I § 6 pag. 80—100; Susemihl: Aristot. Polit. griechisch und deutsch, Leipzig 1879; in praef. et adnotationibus praefat. pag. XVIII—XXIII. Quare singulos, qui

ad eam, quam nos tractaturi sumus, quaestionem alicuius momenti esse videntur, e longa serie eligere satis sit.

Iam primi Aristotelis editores et commentatores politicorum statum nobis traditum dubitationes quasdam habere cognoverunt et hoc opus vere Aristotelium esse defendere necessarium putaverunt.

Sic Montecatino, ut refert Conringius in praefatione editionis suae, „scrupulos ingesserunt stilus contortus, non directus et concisus, mancusque potius quam brevis“, alienus nimirum ab aureo orationis Aristoteliae flumine Ciceroni ipsi laudato, ut Conringius ipse addit. Graviores autem difficultates afferebat librorum ordo, qualis traditus est. Primum Segnius Italicus XVI. saeculo perspexit libros VII. et VIII. falso loco positos sicque transponendos esse, ut post librum III. proxime inserantur, libri autem IV. et V. hos subsequantur.

Copiosius eandem transpositionem tractavit Conringius Helmstadtensis, qui eam compluribus argumentis in introductione versionis Giphanii [1]) firmare conatus est. Idem iterum atque iterum monet lacunosum et mutilum esse politicorum contextum.

„Pervenit ad nos, dicit loco cit., non tantum multorum librorum et defectu et tractatu deforme (sc. hoc opus), sed etiam passim salebrosum multis hiatibus et transpositionibus.“ Itaque in editione sua politicorum (Helmstad. 1656. 4.) innumerabiles locos criticis ornavit asteriscis, ut totus liber in singulis paginis quasi stellati caeli praebeat speciem. Sed genuinum Aristotelis opus esse politica vario modo demonstrare conatur, cum et in aliis sine dubio Aristoteli tribuendis libris citentur et sermonis ipsa ratio vere Aristotelia sit. [2]) Sed quamvis multa nimis audacter aggressus sit, tamen haud paucae eius coniecturae hodie quoque probantur, et pro suis temporibus haud in-

1) „Commentarii in politic. opus Aristotel. Francof. 1608. 8.“

2) E. gr., ut, quam leviter illam de dicendi ratione quaestionem attigerit, appareat, hic afferatur Conringium nulla causa prolata Aristotelias laudare has locutiones: „Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν ὁρῶμεν ... — συνεστηκυῖαν; ὑφηγμένη μέθοδος, τὸ σύνθετον, μέχρι τῶν ἀσυνθέτων διαιρεῖν, quae quidem pleraque non tam ad Aristotelium, quam ad philosophorum dicendi genus pertinent.

utilem in politica operam navavit. Plerique deinde per totum XVII. et XVIII. saeculum editores inprimis illam de libris ponendis quaestionem tractaverunt neque novi quidquam addiderunt.

Ineunte vero hoc saeculo anno 1809 Francofortii in lucem prolata est Gottl. Schneiderii editio, quae, ut Onckenius l. c pag. 90 recte monuisse mihi videtur, hodie quoque haud exigui pretii est („dauernden Wert hat das Buch noch immer, weil es eine mit ausserordentlichem Fleisse zusammengestellte Blumenlese dessen bietet, was ältere Herausgeber und Übersetzer zu den meisten wichtigen Stellen geben, und weil es in der Sammlung der Parallelstellen noch immer an Vollständigkeit nicht übertroffen ist.“).

Sed sicut Schneiderius illam de libris transponendis quaestionem leviter transit, cum dicat „eam opinionem nullo idoneo argumento firmatam fuisse nobisque temerarium vanamque videri“, ita nihil, quomodo politicorum statum, qualis nunc est, ortum esse credat, nobis dicit. Non aptior ad illam quaestionem enodandam est „editio Goettlingii Jenae 1824“, quamquam ad contextum et emendandum et explicandum plurimum contulit. Nam Goettlingius politica praeclare composita et statum librorum nobis traditum optime se habere ratus Conringianos illos asteriscos deridet et de libris transponendis parum accurate disserit. Praeclarissima quoque illa academiae Berolinensis editione a. 1831 suscepta contextus quidem critice examinatus et constitutus, sed ad id, quod ad libros politicorum transponendos similesque pertinet difficultates, tractandum nimirum nihil collatum est.

Accuratius autem disserendum est nobis de Barthelemii St. Hilarii editione Parisiis 1837 typis excussa, quae versione Gallica res magis quam verba referente instructa est. Incipit vero auctor egregia praefatione (pag. I—CLXXXIX), in qua cum de aliis tum de libris transponendis copiosissime disputat. Nam non ea tantum, quae ante eum docti viri proposuerant, refert, sed novam ipse viam insistit, cum V. quoque et IV. libr. transponat et librorum ordinem sic instituat: I. II. III. VII.

VIII. VI. V. IV. (Segnii et Conringii ordo: I. II. III. VII. VIII. VI. IV. V. fuerat.)

Atque ut Parisinos codices diligentissime inspexit et descripsit, ita etiam de politicorum origine ac genere dicendi accurate disserit. Absolutum quoddam et perfectum ab ipso Aristotele opus politica esse illi videntur, in quo libris ita, ut ipse postulaverit, transpositis omnino nihil desideretur: „Je crois, inquit (praef. pag. LIII et LIV), que la Politique, disposée dans l'ordre nouveau que je propose, forme un ensemble fort complet malgré quelques digressions.“ De scribendi vero ratione dicit praef. pag. LIV: „Quant au style de la Politique, il est comme celui de tous les autres ouvrages, extrêmement concis, serré, nerveux, logique“ et l. c. pag. LV: „ni sa (Aristotelis) forme, ni sa pensée ne sont obscures; elles ne sont que profondes, et comme le dit Cicéron: Magna animi contentio adhibenda est in explicando Aristotele.“ — Deinde de librorum divisione dubitationes haud neglegendas profert, cum dicat l. c. pag. CLXVII: „La division en huit livres appartient-elle à l'auteur lui-même? Est-ce Aristote qui a partagé son ouvrage de cette façon?“ Respondet autem l. c. pag. CLXXII: „La division en 8 livres n'appartient pas à Aristote, mais est d'Andronicus de Rhodes, son éditeur.“ Concedit igitur, quamvis absolutum politica opus existimet, librorum divisionem non Aristoteliam esse, quae num recte Andronico tribuenda sit, alio inquiremus loco. Secundum St. Hilarium Leonh. Spengelius inprimis respiciendus est, qui „Philol. Abhandlungen d. b. Ak. d. W. (V. pag. I „Über die Politik des Aristoteles“), deinde Aristotelische Studien“ III (c. l. XI pag. 55 et sequ. et X pag. 636 et sequ.) cunctam de libris transponendis quaestionem iterum copiosissime tractavit et St. Hilarii sententiam doctissime defendit et gravissime confirmat. Primus igitur recentiore aetate Germanorum homo doctus illam quaestionem, de qua usque ad illum Itali et Francogalli inprimis iterum iterumque egerant, denuo suscepit eamque adhuc a Germanis viris doctis neglectam esse, graviter in illa, quam supra memoravimus „Über d. Polit. des Aristoteles“, commentatione queritur: „Die gerühmte Gründlichkeit der deutschen Philologie hat in Bezug auf Aristo-

teles' Politik nicht nur das Richtige nicht geahnt, sondern auch sich als wenig fähig erwiesen, den von Italienern und Franzosen richtig erkannten Zusammenhang des Werkes auch nur zu würdigen und zu verstehen." Ipse autem tam accurate de omni ea re disputaverat omniaque argumenta tam acute examinaverat, ut Immanuel Bekkerus tum statim in contextu editionis suae minoris (8°) totam transpositionem librorum recipere non dubitaret et longe maxima pars [1]) hominum doctorum ei assentiretur. Ac profecto ea diligentia commentationes eius hac de re scriptae sunt, ut hodie quoque vix quisquam novi quid afferre possit. [2])

Nunc vero pauca dicenda sunt de Stahrio, quem, quamquam liber eius laudandus Spengelii disputationibus prior est, tamen post illum demum tractare libet, ne, quod de St. Hilario et Spengelio commune referendum erat, dirimatur.

Is enim cum alia tum hoc primus accuratius demonstravit, politicis veteres quosdam auctores usos fuisse in libro, quem „Aristotelia" (II partes Halle 1830) inscripsit (pag. 113 II. p.); pag. 114 l. c. autem politica lacunis esse deformata negat („hinsichtlich der Politik ist es durch Göttling erwiesen, dass die Lücken und Umstellungen, welche man seit Antonius Scainus in diesem Werke wahrzunehmen glaubte, vielmehr in den Köpfen der Herausgeber ihren Ursprung hatten."). Ceterum ob hanc sententiam, cui ea ipsa de causa assentiri non possumus, quod ad illam probandam Goettlingii disputationis adhibet eam partem, quam longe infirmissimam esse hodie doctorum nemo fere infitietur, Stahrium non afferimus, sed quia, quo tempore politica conscripta sint, qua ratione quem in finem, primus diligentius inquirere conatus est. Hac de re pag. 114² adnot. 1

---

1) In numero adversariorum inprimis nominandi Bendixenius et Forchhammerus (Bendixen: Philolog. XIII, XIV et inprim. XVI, Forchhammer: Philolog. XV).

2) Nuperrime Spengelii partes iterum defendere haud infeliciter conatus est: „G. Vogel: de politic. libris VII et VIII ante IV et VI ponendis" in commentationibus philologicis conventui philolog. Monachii congreg. oblatis ab sod. Sem. philol. Monac. (Monachii 1891 Kaiser pag. 108—114)", ad quam dissertationem postea loco aptiore recurremus.

locos quosdam [1]) affert, ex quibus, quo tempore politica orta sint, colligi possit. Perspicuum autem illis fieri dicit Aristotelem hoc opus, cum iterum Athenis degeret, idque lectorum in usum conscripsisse („Aristoteles schrieb dieses Werk im reifsten Mannesalter während seines zweiten Aufenthaltes zu Athen offenbar für Leser.") [2]) pag. 114.

Illud „offenbar für Leser", quod accuratius demonstrare nescio quo pacto omisit, hic interim inprimis notetur. Quod vero Stahrius politica atque ethica firmo quodam vinculo coniuncta esse existimat („da beide Werke zwei engverbundene Theile eines Ganzen bilden", l. c. pag. 113. 114), hac in re cum illo consentire non possumus, cum eum locum, quo haec sententia firmatur, infra suspectum esse demonstraturi simus. Isdem ferme argumentis usus idem contendit Nickes „de Aristotelis politicorum libris diss. Bonn 1851." Is, cuius commentatio magnae certe diligentiae, subtilitatis, doctrinae est, singula accuratius definiendo et certum quoddam consilium demonstrando evincere conatur, totum politicorum opus optime constitutum, ordinatum, perfectum esse. Sed quamquam acutissimas illius expositiones esse concedo, tamen nemini eis persuaderi arbitror, politicorum statum non lacunosum atque innumeris defectibus prope insanabilem esse. Nititur enim ad definiendi et distribuendi rationem defendendam inprimis ultimis illis ethicorum Nicomach. verbis, quae si subditicia atque aliena ab Aristotele demonstratum erit (cfr. part. II. de l. II. s. f. et sequ.), omnia eius argumenta collabentur et evanescent.

Quam aliter eandem rem iudicat Cyr. Strozza: Aristotelis opp. ed. du Val Paris 1639 III 617: [3]) „An ergo quisquam sanae

1) Hi loci, ab aliis quoque ad tempus definiendum adhibiti, sunt 1311 b 2, ubi Philippi nex commemoratur et 1312 b 10, ubi Dionysius Syracusius verbis: „*νῦν μέν*" inducitur. Sed his locis nihil aliud demonstratur, nisi quo tempore illa pars operis, quae nunc liber V. est, orta sit. —

2) Ceterum quomodo congruunt hac cum sententia, quae idem (loco c. p. 279 p. II) dicit: „Sie (sc. ethica et politica) dienten als Grundlagen für Vorlesungen ....., vertrauten (!) Schülern mögen sie zur Privatbenutzung (!) zugänglich gewesen sein etc." ?

3) Ap. Hildenbrand: Geschichte d. Rechts. u. Staatsphilos. pag. 361, 362 adnot. 4.

mentis homo, nedum philosophiae alumnus, dubitet autorem aut morte antevertente manum extremam operi huic praeclarissimo imponere non potuisse aut, si forte imposuit, temporum iniuria sicuti alia permulta antiquorum opera, ita et extremum hunc Aristotelis laborem interiisse?" Quam atrox Stahrii adversarius, qui lacunas et defectus operis „in editorum potius capitibus" ,orta esse censeat! (vide supra pag. 7.) Similem ac Strozza de politicorum statu sententiam fert Neumann „Aristotelis rerum publicarum reliquiae Heidelberg et Spirae 1837" pag. 33: „Quandoquidem sive Stagirites ipse (sc. politica) .... non perfecerit, sive ...... extrema operis pars amissa sit, mutilum opus ac laceratum diligenti cuique lectori perspicuum erit." pag. 34: „Ab Aristotele non absolutum esse mihi maxime verisimile videtur." Easdem partes sequitur Ritter: „Gesch. der Philosophie" 3. Bd. pag. 309: „Genug, wie wir uns auch wenden, der aristotelischen Politik scheint die letzte Vollendung zu fehlen." Stahlius autem „Philosophie des Rechts" 3. Auflage, Bd. I. pag. 30 dicit: „Bei aller Schärfe dieser Untersuchung und der Wahrheit der einzelnen Beobachtungen wird die letzte Gestalt, die sich ergeben soll, der Staat, der dem Ziel der Natur entspricht, durchaus nicht anschaulich; die Untersuchung gleicht einem Strom, der nach prächtigem Zuge sich im Sande verliert."

His igitur auditis testibus Hildenbrandii sententiam examinabimus. Is, postquam in libro supra (pag. 8 adnot. 3) citato „pag. 379—385" copiose de libris transponendis disseruit, omnibus, quae et defensores et adversarii transpositionis attulerunt, argumentis diligenter ponderatis secundum operis totius ordinem ac dispositionem libros VII. et VIII. post III. collocandos censet. Sed hos ipsos libros ab Aristotele posteriore quam ceteros tempore elaboratos esse credit, eamque ob rem editores postremos eos et invenisse et edidisse, quos ne suo loco insereret, Aristotelem morte impeditum esse. Quare pie eius memoriam colentibus retinendus sit nobis ordo traditus, quamvis rectam et necessariam transpositionem, quam opus perfectum praebuisset, perspexerimus."

Sic fere Hildenbrandius illas difficultates solvere est conatus.

„Eine geistvolle Vermutung“ eam rationem cum Onckenio „Staatsl. etc. I pag. 100“ appellare velim, sed tamen parum certis argumentis firmata mihi videtur.[1])

Ceterum auctor ad sententiam suam probandam certum quoddam et absolutum omnibus numeris totius operis consilium proponit, quod universum quidem, cur concedere nequeam, infra demonstrare conabor.

Deinceps dicendum est de Schnitzero, cuius coniecturam in introductione vers. germanic. Stuttgart 1856. 16. factam nunc breviter examinemus.

Schnitzerus enim Spengelii de libris transponendis sententiae adversatur, cum dicat Aristotelem politicorum libros non continuos, sed alios alio tempore — intra annos a. Chr. n. 330—323 — composuisse verisimillimum esse. Deinde illius admonet Stagiritae consuetudinis et rationis inceptas disputationes digressionibus interrumpendi, res ipsas, quales sint, exponendi, tum demum ad absolutum perfectumque progrediendi. Secundum eam rationem ordinem librorum traditum ab ipso Aristotele esse institutum, quamquam negari non possit Aristotelem, si quidem opus perfecisset, ordinem a St. Hilario et Spengelio propositum secutum fuisse. Huic argumentationi Hildenbrandius l. c. recte illud mihi opponere videtur prima et postrema Schnitzerianae expositionis inter se discordare. Nam cum primo ordinem a Spengelio et Barthelemio postulatum ut alienum ab Aristotelis consilio reiciat, postremo eum quasi ab Aristotele ipso perfecto sc. et expolito opere desideratum probat et poscit. Sed haec hactenus.

Nunc quid Zellerius hac de re sentiat, breviter exponam. Is „Philosophie der Griechen“ 2 [3] pag. 672 adnot. 2 et seq.: quaestione de libris transponendis tractata ita cum Spengelio et Barthelemio consentire se profitetur, ut libros VII. et VIII. post librum III. ponendos concedat (pag. 674 et 675), sed VI. et V. transponendos cum Hildenbrandio neget. Ceterum de politicorum,

1) Inprimis, qua de causa libr. VII. et VIII. postremos ortos credat, nulla affert argumenta; sed ex illis, quos supra (s.c. pag. 8 adnot. 1) memoravimus locis, immo illud potius concludi posse videtur V. et VI. librum satis sero ortos esse.

qualis nunc est, statu lacunoso et manco ipse l. c. pag. 672 et 678 haec dicit: „Die Vollendung' seines Werkes wurde aller Wahrscheinlichkeit nach durch den Tod des Verfassers unterbrochen, und als seine hinterlassenen Entwürfe zusammengestellt wurden, waren Lücken nicht zu vermeiden." (pag. 672.) Et pag. 678 adnot.: „Bei dieser Zusammenstellung der Entwürfe scheinen ähnlich wie bei der Metaphysik die hinterlassenen Aufzeichnungen des Aristoteles ohne Überarbeitung und Zuthaten einfach aneinander gereiht worden zu sein." Hoc quidem „ohne Überarbeitung und Zuthaten" politicorum libros coniunctos esse, concedere vix poterimus, sed illa cum metaphysicis comparatio haud spernendum nobis ipsis argumentum esse videtur sententiae infra accuratius exponendae. Inprimis autem gravis nobis momenti videtur illud, quod Zellerius librorum divisionem ab ipso Aristotele profectam esse negat. (pag. 675 l. c. adnot.: „Die Bücherteilung stammt schwerlich von Aristoteles her.") Ceterum copiosissime qua ratione Aristotelis libros editos esse credat, deinde de exotericis et pragmaticis, quae vocant, scriptis disserit (pag. 109—160). Quae singula hic referre longum est. Gravissimum autem illud mihi esse videtur, quod singulas singulorum operum partes diversissimis temporibus conscriptas esse conicit, qua ex causa innumerabilis citationum inter se discordantium numerus declaretur. E. gr. pag. 130 l. c. ait.: „In derselben Weise lässt es sich erklären, dass die Politik, welche für ein von Aristoteles nicht vollendetes und erst nach seinem Tode, in ihrer unvollendeten Gestalt, herausgegebenes Werk zu halten wir allen Grund haben, zugleich mit der in ihr erst versprochenen Poetik in der Rhetorik angeführt wird etc. etc."[1]) Pag. 136 autem et adnot. 1 et 2 c. l. adversatur Onckenio omnibusque illis, qui pragmatica opera nihil aliud esse nisi discipulorum scripta secundum ea, quae Aristoteles in scholis recitaverat, domi composita aut in ipsis scholis calamo excepta iudicant (cfr. etiam pag. 127

1) Die Politik I. 8. 1366a. 21: *(διηκρίβωται γὰρ ἐν τοῖς πολιτικοῖς περὶ τούτων)*; die Poetik öfters ..... (sc. Pol. VIII. 7. 1341[b] 38, Rhetor. I. 11. III. 1. 1404[a] 38 c. 2, 1404[b] 7, c. 28; 1405[a] 5 c. 18; 1419[b] 5 *(ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς* aut [1404[b] 28] *ἐν τοῖς περὶ ποιήσεως.)*. —

„Die Schriften sind nicht Anhaltspunkte zur Unterstützung des Gedächtnisses bei Vorlesungen, vielmehr sind die uns erhaltenen streng wissenschaftlichen Werke des Philosophen zunächst als Lehrbücher für seine Schüler verfasst worden“), quo loco illis quoque contradicit, qui scripta pragmatica, quae vocant, ipsi Aristoteli in scholis memoriae adiumento fuisse existiment.

Proximum nunc est, ut de Onckenii sententia accuratius disputemus. Is „Staatsl. d. Aristoteles. Leipzig 1870“ tom. I, pag. 56 sic argumentatur: aut Aristoteliam esse eam, quam nos traditam habeamus, politicorum compositionem — tum nihil esse illa nisi adnotationes sine arte quasi scholarum in usum conscriptas [1]) (formlose Umrisse) — aut non esse Aristoteliam sed discipuli alicuius, qui ex suis aliorumve scriptis inter ipsos scholas notatis contextum composuerit. Sed illa, quae ad sententiam firmandam affert argumenta, quibus iisdem ferme Diebitschius in dissertatione brevi post laudanda utitur, accuratius examinata probari vix possunt. Exponit enim pag. 57—63 l. c. ut discipulorum scripta in ipsis scholis notata politicorum libros esse demonstret, locutiones, quales e. gr. hoc accuratius considerandum est („hierauf müssen wir genauer eingehen“); sed ab ipsa re paulatim digressi ad illam redeamus („aber wir sind vom Gegenstande abgekommen, kehren wir zu ihm zurück“); „haec quidem summatim diximus, nunc singula aggrediamur („so viel jetzt im allgemeinen, nun das besondere“) ad eam nunc quaestionem pervenimus, atque inprimis illud exponendum est: („Wir sind jetzt bei dieser Frage angekommen und müssen untersuchen“) l. c. pag. 57 et 58 (cfr. locorum indicem pag. 58 adnot. 1) vel alias eiusmodi suae opinioni esse documento. [2])

---

1) Similiter Peter Mayer: „D. Aristot. Polit. u. die Ἀθηναίων πολ. Bonn 1891. pag. 26: Das Ganze macht entschieden den Eindruck eines Collegienheftes, welches gelegentlich wenig ausgearbeitet gewesen; allein auch bei Annahme der dadurch verursachten Ungleichmässigkeiten etc. etc.“

2) Nuperrime Onckenio hac in re assentiri se profitetur Hans Örtel: „Die Lehre d. Ar. v. d. Tyrann.“ Gymn.-Progr. Kaiserslautern 1890 pag. 4: „Bemerken möchte ich noch, dass ich die zuerst von Scaliger und dann auch von neueren Gelehrten besonders nachdrücklich und mit überzeugenden Gründen von Onckeu

Sed contra ea ne obliviscamur omnes eiusmodi locutiones non minus scriptae dissertationis quam dictae orationis proprias et dicendi formulas, quales λέγειν, εἴρηται, λόγος, εἰπεῖν, etc. sine ulla dubitatione ab omnibus Graecis scriptoribus in libris scriptis et ad legendum compositis, non in orationibus modo usitatas esse, sicuti nostra quoque in lingua nemo „darüber werden wir später reden; darüber ist genug gesagt etc. etc." in libris uti dubitabit; immo „de hac re scripsi" vel „de illa scribemus" nemo fere dicere audebit. Non aliter se habent locutiones, veluti „nunc ad propositum redeamus" vel „paulum digressi sumus" aliaeque eiusmodi supra ab Onckenio ad suam probandam sententiam adhibitae, quas omnes sescenties in quibuslibet libris certe non e scholis profectis legere possumus.[1] Deinde quod Onckenius pag. 59: „das Vorkommen einfacher und doppelter Fragen, die im Texte nicht beantwortet, sondern nachdem sie aufgestellt, durch einen affirmativen Satz abgelöst werden" opinionis suae argumento esse existimat, talium interrogationum rhetoricarum naturam ac vim parum respicere videtur,[2] quae interrogationes responsa re vera in se ipsis continent atque, si expresse respondeatur illis, contorta atque insulsa dicendi ratio efficiatur. Atque profecto si quis illos, quos Onckenius loco c. pag. 59 adn. β. attulit locos, accuratius examinaverit, nullum certe inveniet, qui non ita optime explicari possit. Quid autem, quod ille ex inscriptione πολιτικῆς ἀκροάσεως α' β' γ' δ' ε' etc., qua Diog. Laert. in indice pag. V 24 utitur, quae sentit, probare conatur? At ex Graecorum dicendi usu facile sane demonstrari possit „ἀκροάσεις" iam Aristotelis

---

vertretene Ansicht auf Grund wiederholter Lectüre vollkommen billige, der uns vorliegende Text d. Ethik u. Politik sei nicht auf Aristoteles selbst, sondern auf die Nachschriften von Schülern zurückzuführen (Oncken I. p. 56 ff.) etc." —

1) Multo cautius hac de re loquitur Stahrius l. c. pars II p. 279, cum politica ex scholis intra XIII extremos vitae annos ab Aristotele in Lyceo habitis profecta esse ratus verisimillimum existimet „dass viele Ausdrücke und Wendungen dieser Bestimmung der Schriften ihre Entstehung verdanken." — Ceterum, ut supra monuimus, ipse politica „lectoribus" scripta fuisse diserte pronuntiavit.

2) Cfr. etiam, quae Zellerius l. c. pag. 136 adn. 2 ad hanc Onckenii sententiam impugnandam exponit.

temporibus non „auditiones“ tantum, sed „commentationes“ „dissertationes“ significavisse (cfr. *αἱ ἀκροάσεις κατὰ τὰ ἤθη συμβαίνουσι* M. a. 3; 994. b. 32. (Bonitz. ind. Aristot.); *παραγγελίης τε καὶ ἀκροήσιος καὶ τῆς λοιπῆς μαθήσεως μετάδοσιν ποιήσασθαι.* Hippocr. iusiur. I. 11. *ἀκρόασις ἀποδεικτική* „recitatio ostentationis gratia scripta“ vertit Stephan. Thesaur. s. v. *ἀκρόασις*).[1]) Hanc ipsam vocabuli vim ex propria audiendi profectam esse quis infitietur? Sed minime ex vocabulo „*ἀκροάσεις*“ id, quod Onckenius vult, probari potest. Denique pag. 61 et 62 enuntiatorum structuram multis locis mancam circuitumque verborum parum rotundum esse („die beispiellose Vernachlässigung des Satzbaues und der Mangel von abgerundeten Perioden“) exponit, quod ipsum suae sententiae documento sit. Sed imperfecti potius laboris et non iam limati operis argumentum hoc idem esse mihi videtur. Nam si vere politica discipuli alicuius scripta inter recitationes calamo excepta essent, tum tria certe statui possent: aut enim ille imperfecte, quae audierat, scripsit, quia parum habilitate verba loquentis stilo excipiendi praeditus fuit, tum ea, quam nos habemus, politicorum compositio explicari non posset; nam cur tunc res leviores quoque scriberet tamque longa redderet enuntiata, neque potius quae audivit, compendiose in pauca verba redigere conaretur? Aut bonus fuit notarius — nam alius locutiones, quales „*νῦν μὲν ἐπὶ τύπῳ καὶ κεφαλαίῳ* etc. etc.“, quae idem dicunt, certe non rettulisset — tum orationis neglegentiae in Aristotelem recitantem reciderent. At quis credat Aristotelem neglegenter et parum polite res suas declamasse? — Aut aegre quidem et abrupte scholas calamo excepit, sed domi correxit et limavit; tum status politicorum lacunosus, imperfectus, parum expolitus eo minus explicari posset. Quare utique ex illa re, quod tam multa in politicis parum perfecta esse videntur, multo magis Aristotelem ipsum opus non iam perfecisse quam omnino discipuli alicuius scriptum esse demonstratur. —

---

1) Fortasse similiter iam Pindar. P. IX. 77. *ἀκοὰ σοφοῖς* (sc. *βαιὰ ἐν μακροῖσιν ποικίλλειν*), quod Boeckh. „acroama“ vertat, ut benevole me monuit Guilielm. de Christ. —

Onckenii vestigia secutus est Diebitschius in dissert. „de rerum conexu in Aristotelis libro de republica, Breslau 1875." Praeterquam quod argumentis gravioribus non allatis Spengelii transpositionem librorum reiecit,[1] discipulorum scripta in scholis notata politica nostra esse dicit, pag. 12, l. c. „has disputationes non pro opere elaborato, sed pro scholis paulo fusius ac solutius ab Aristotele coram discipulis habitis ab iisque consignatis existimandas esse", cui rei documento esse „repetitiones earundem sententiarum crebrius, brevitatem concisam, rationem disputandi saltuatim progredientem." pag. 13. Deinceps pag. 14, 15 et 16 singulos locos affert, veluti I. 13. 22. „*ἀφέντες τοὺς νῦν λόγους*" et similes. Quibus omnibus idem respondendum, quod Onckenio. Nam quin Aristoteles de politicis et ethicis scholas habuerit, id quod Gell. noct. Att. XX. 5. (Diebitschius pag. 14 typico, ut videtur, errore citat XX. 4.) tradit, nemo certe dubitabit. At quidni ipse de rebus politicis commentationes conscribens hoc vel illud ex scholis iam habitis insereret et scribendi genus illis accommodaret? Ceterum ipso, quo nobis politica tradita sunt statu, evincitur eas disputationes lectoribus, non auditoribus esse compositas. Nam quid e. gr. auditori proderit audire Aristotelem dicentem „sicuti in ethicis exposuimus (*καθάπερ εἴρηται ἐν τοῖς ἠθικοῖς*)" vel „sicut in commentariis de re domestica diximus (*εἴρηται κατὰ τοὺς πρώτους λόγους, ἐν οἷς περὶ οἰκονομίας διωρίσθη*)" (1280 a 17 et 1278 b 18 etc.)? Nonne his verbis lectorem admonere videtur, ut illos locos iterum evolvat?[2]

Sed hac de re satis mihi multa verba fecisse videor. Restat, ut de Susemihlii politicorum editionibus pauca dicam.

1) Loci, quibus Spengelii sententiam impugnat, a Susemihlio in adnotation. editionis minoris (griech. u. deutsch Leipz. 1879) ad librum VII. (IV. apud Susemihl.) tractati Diebitschiique expositiones in ea re satis refutatae sunt. —

2) Non obstat huic argumentationi, quod aliquoties libros quoque non iam editos (*λόγοι ἐσωτερικοί*) citat. Nam si hoc vocabulo, id quod nunc quidem omnes fere concedunt, disputationes non vulgo traditae, sed discipulis intimis communicatae intelleguntur, nihil aliud eiusmodi citationibus efficere vult, quam lectorum eos, qui harum ipsarum disputationum secretarum participes fuerint, breviter illuc remittere. Praeterea ei loci prae ceteris tam pauci sunt, ut ceterorum gravitatem demonstrandi non destruant. —

Is cum compluribus minoribus disputationibus sparsim in commentariis diurnis vulgatis tum tribus editionibus de Aristotelis politicis egregie meritus est. Prima editionum harum critico instructa apparatu et Moerbeckiana ornata versione Lipsiis 1872 prodiit; praeclarum profecto opus, cum in illo omnia, quaecumque ad illud tempus in politicis emendandis praestita erant, congesta et adhibita appareant. Non minorem utilitatem attulit politicorum studiis ea editione, quae 1879 vulgata contextum recognitum, versionem Germanicam appositam, adnotationes volumine proprio compositas praebet.[1]) Tertia secuta est 1882 Lipsiis edita, qua contextus et apparatus criticus continetur.

Nostrae, quam hic tractaturi sumus, quaestioni maximam confert utilitatem editio 1879 (Sus. $_2$), in qua copiosius de omnibus, quae ad politica pertinent, quaestionibus agitur. Nam cum introductione praeclarissima et aliorum et suam ipsius de politicorum origine et traditione universorum tractat sententias, tum adnotationum volumine singulorum locorum difficultates aut ipse solvere conatur aut aliorum solutiones diligentissime congerit. Quae singula postea, cum de singulis politicorum libris disputabimus, non pauca afferemus.

Nunc autem de introductione Sus. $_2$ accuratius videndum. Exponit enim ibi pag. 1 et sequ. consilium optime excogitatum totum opus amplecti, quod sine dubio ab ipso Aristotele scriptum sit („ein wohlgegliederter Plan zieht sich durch das Ganze und die Ausführung beruht ohne Zweifel auf eigenen Aufzeichnungen des Aristoteles.“). Consilium illud optime definitum in universis politicis cognosci posse vix arbitror, atque infra accuratius, cur concedere nequeam, demonstrare conabor; at illud iterum atque iterum Susemihlii quoque iudicio comprobatum recipiam ex ipsius Aristotelis scriptis nostra politica composita esse. — Deinceps postquam in adnot. 3 pag. 1 et 2 et pag. 3 adn. 1 et 2 Krohnii: „Zur Kritik aristotel. Schriften I. Brandenbg.“ et Polenaarii „Tirocinia critica in Aristotelis politica, Leyden 1873“ sententias eorumque, qui compluribus auctoribus, quae nunc

---

1) Ad maiorem citandi opportunitatem, sicuti auctor ipse, maiorem (1872) Sus. $_1$, minorem (1879) Sus. $_2$ breviter signabimus.

habemus, politica attribuere volunt, ut ipsius Aristotelis paucâ relinquerentur, opinionem tractavit et refutavit, totius operis summam, dicendi rationem, compositionem praeclarissime exponit, quaeque adhuc in politicis edendis, illustrandis, vertendis praestita sint, copiosissime affert. Omnibus autem accurate ponderatis et ipse existimat politica opus esse ab ipso Aristotele imperfectum relictum (cfr. inprimis pag. 70 „Unebenheiten ....., die uns zu dem Schlusse nötigen, dass Aristoteles nicht nur eine solche letzte ordnende Hand an dies Werk nicht gelegt, sondern auch lange Zeit in verschiedenen Zwischenräumen und mit manchen Unterbrechungen durch andere Arbeiten an ihm geschrieben hat etc. etc.“). Illa autem Susemihlii observatio, qua politica diversis temporibus conscripta et multifariam compositionem interruptam esse contendit, nostrae quoque sententiae, quam infra expposituri sumus, auxilio et adiumento esse poterit, quare hic iam expresse et diserte eam notavisse velimus. Denique ordinem librorum a Spengelio propositum Susemihlius ita necessarium et re ipsa postulatum existimat, ut in ipso contextu libros secundum Spengelii sententiam ponat et numeret, pristinum ordinem et consequentiam singulorum librorum numeris uncinis inclusis notet. Singula autem, quae in emendando et explicando politicorum contextu praestitit, hic enumerare et longum et supervacaneum esse videtur, praesertim cum postea non semel ad hanc Susemihlii editionem recurremus. Quare haec interim hactenus!

Ac nunc quidem primarias de Aristotelis politicis adhuc prolatas breviter exposuimus sententias, haud inutile rati omnes in unum congerere locum, ut, si in sequenti dissertatione huius vel illius sententiam sive probandam sive refutandam afferre opus sit, paucis huc lectorem remittere sufficiat; deinde compendiosam quasi historiolam componere voluimus eorum, quae de politicis homines docti adhuc tulerunt, iudiciorum et opinionum, ex quibus inter se comparatis facilius, quid forte verius sit, cognoscatur.

II.

De librorum divisione.

Ad eam quaestionem, quanam ratione politicorum status nobis traditus apte illustrari et declarari possit, diiudicandam maximi momenti erit, quomodo librorum divisio, qualis nunc est, orta sit, accuratius inquirere. Priusquam autem ipsius Aristotelis opera hac de re examinemus, ante de auctoribus, qui ante Aristotelem floruerunt, potissimis agamus.

Poëtas hic omnino praeterire poterimus; nam illorum opera et re et forma ita diversa sunt ab prosae auctorum scriptis, ut ad illam de librorum divisione quaestionem enucleandam adhiberi nequeant. Primus hic nobis occurrit Herodotus, cuius opus de bellis Persicis in novem musarum nomine inscriptos libros ab Alexandrinis demum, quos vocant, grammaticis divisum esse iam pridem ab hominibus doctis cognitum est. Auctor ipse mortuus est Thuriis, antequam totum opus ita, ut voluerat, limasset, quare imperfectum posteriores invenerunt editores ipsique ordinaverunt et in libros diviserunt. Cfr. hac de re Christ: „Gesch. d. gr. Litt." Hdb. d. kl. A. W., Bd. VII ed. 2 pag. 283: „Es ist also ein lockeres Band, welches die Teile, die ursprünglich eigene, für sich bestehende Schriften (*λόγοι Περσικοὶ, Αἰγύπτιοι, Λιβυκοὶ, Λυδικοὶ, Σκυθικοὶ, Σάμιοι* etc.) gebildet zu haben scheinen, zu einem Ganzen verbindet."

Et paulo infra l. c. pag. 284: „Überhaupt ...... sprechen der lange Zwischenraum zwischen den einzelnen Reisen des Historikers und die Anlage der anderen grösseren Prosawerke, wie insbesondere die Politeia des Plato und die Politica des Aristoteles für die Annahme, dass auch Herodots vielgliedriges Geschichtswerk erst allmählich durch Zusammenfügung von Büchern entstanden ist." Sittl: „Geschichte der griech. Litteratur" II. Thl. pag. 386: „Er bemühte sich aber sofort bei der Niederschreibung durch unermüdliche Vor- und Rückverweisungen die einheitliche Composition klar zu machen." (adn. 6. 5. 36. *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν λόγων* = *Λυδιακὰ* 1. 92 etc. etc.)

Separatam de hac re dissertationem scripsit Ammer: „Herodotus Halicarnasseus, quo ordine libros suos conscripserit.“ [1]) Ex omnibus his illud colligi potest inter homines doctos hodie constare Herodoti operis formam inprimisque librorum divisionem non ab ipso auctore, sed ab editoribus illis Alexandrinis institutam esse. Qua de re interim satis disputatum sit; postea, apte hanc rem cum Aristotelis politicis comparaturi, huc recurremus.

Thucydidis quoque operis in libros divisionem ab auctore alienam esse homines docti hodie consentiunt. Christ loco c. pag. 291: sic ait: „Die Einteilung des Werkes in Bücher rührt nicht von Thucydides selbst her, wie man schon daraus ersieht, dass daneben eine solche in 9 und 13 Bücher existierte.“ — [2])

Et adnot. 9 ad l. c. Marcell. 58: „*τὴν πραγματείαν αὐτοῦ οἱ μὲν κατέτεμον εἰς τρεῖς καὶ δέκα ἱστορίας, ἄλλοι δ' ἄλλως. ὅμως δὲ ἡ πλείστη καὶ κοινὴ κεκράτηκε τὸ μέχρι τῶν ὀκτὼ διῃρῆσθαι τὴν πραγματείαν.* Eine Einteilung in 9 B. kennt Diodor 12. 37. u. 13. 42. s. Wilamowitz: Curae Thucyd. p. 6 f.“ Eadem librorum divisionis varietas apparet in Xenophonte. Sic de Cyri Anabasi Christ. l. c. pag. 298 adnot. 3: „Die Einteilung in Bücher rührt von später Hand her, von derselben auch die über den Inhalt orientierenden Einleitungen.“ (cfr. et. Birt l. c. 464 sqq.); deinde l. c. pag. 300 ad 7 libr. *Ἑλληνικὰ* adnot. 5: „Daneben existierte eine Ausgabe in 9 B., wie aus den Citaten des Harpokration Schaefer (Jahrb. f. Philol. 1870 S. 527) nachgewiesen hat.“

Denique p. 301 l. c. ad Anabasin: „Ob die Schlussredaktion oder die Zusammenordnung der zu verschiedenen Zeiten geschriebenen und wahrscheinlich auch herausgegebenen Teile von Xenophon selbst herrührt, ist schwer zu entscheiden.“ (cfr. Birt. pag. 448 sequ.) Praeter Memorabilia cetera Xenophontis scripta monobibla sunt; de Memorabilium autem in IV libros divisione, quamquam apertam non habet offensionem, aliis comparatis idem forte statuendum est.

---

1) Virceb. 1881.

2) Accuratius de eadem re: Birt d. a. Buchwesen pag. 444. adn. 1.

Rerum scriptoribus nunc principibus tractatis proximum erit, ut de oratoribus agamus. Sed orationes ex sua natura totum quoddam efficiunt singulae ob eamque causam plerumque monobibla sunt.

Quare cum parum ad nostram de librorum divisione quaestionem conferre possint, hos omittere licebit. Restat igitur, ut de philosophis agamus. Horum nullius, Xenophonte excepto, cuius Memorabilium supra mentionem fecimus, scripta maioris voluminis ad nos pervenerunt praeter Platonem. Huius autem 42 dialogi et 13 epistolae hodie exstant. Quorum operum plurima Plato ipse vivus perfecit et edenda curavit. Legum solum dialogum imperfectum fuisse et Platone mortuo ab discipulo eius Philippo Opuntio editum esse nobis traditum est. (Diogen. Laert. III. 37.) (cfr. et. Christ l. c. pag. 390 et seqq.) Legum autem in libros divisio recte num Platonica sit, dubitatur; idem dicendum est de Republica Platonica, cuius dialogi librorum divisionem miram, immo perversam, obiter quoque qui legerint, facile cognoscent. (cfr. Christ l. c. pag. 385: „Die Politeia umfasst zehn Bücher, welche Buchteilung aber, da dieselbe vielfach verkehrt und geradezu sinnwidrig ist, nicht vom Autor selbst herrührt.“) Potissimis igitur ante Aristotelem rerum scriptoribus et philosophis perlustratis intelleximus nullius fere scripta ita tradita esse, ut librorum divisio sine dubio auctori tribui possit, immo plerumque ad Alexandrinorum aetatem, qua, ut paulo infra copiosius disputabitur, plurimi horum auctorum et editi et in hanc redacti sunt formam, remittimur. Num audacius facimus, si idem de Aristotelis quoque operibus statuamus? Iam pridem homines docti Aristotelem plurima sua opera non ipsum edidisse inprimisque politica non ab ipso divulgata esse censuerant, ut satis supra demonstrasse nobis videmur. Librorumque divisionem politicorum non Aristoteliam esse satis multi iam suspicati sunt.[1]) Sed nemo horum nescio quomodo ex ea re certe et definite ad ipsorum politicorum, quem nunc traditum habemus, statum explicandum conclusit.

---

1) Cfr. St. Hilaire pref. pag. CLXVII et CLXXII. Zeller l. c. pag. 675 adnot. et alibi. —

Primus accuratius de ea re disseruit Birt in l. c. „d. ant. Buchw." Is omnibus, quae ad libros apud veteres edendos pertinent, rebus diligentissime inquisitis satis luculenter demonstravit usque ad Callimachi tempora homines doctos in libris evulgandis magnis plerumque voluminibus[1]) usos (pag. 490—492; cfr. inprimis pag. 490: „Dass bis in des Philadelphos Regierung hinein das altmodische Grossrollensystem geherrscht oder doch vorgeherrscht habe") neque quid hac ex re consequatur, diserte definire dubitavit. Quare si conabimur, quae Birtius generatim de universis illorum temporum operibus demonstravit, ea ad singula Aristotelis scripta adhibere, Birtii potissimis conclusionibus interim pro satis firmatis uti liceat.

Si igitur mentibus revocamus ea tempora, quibus illa magna volumina, in operibus maioribus et continuis edendis ad illam aetatem usitata, in complura minora transcripta sunt, tum grammaticorum illorum industria ad contextum eorum, quae transcripta sunt ex uno magno volumine in plura minora, scriptorum constituendum gravissimi certe momenti nobis videri debet. Illi quidem scriptores, quos iam versabant omnium manus, velut poëtarum principes, nova quoque veste quasi induti nihil splendoris et integritatis pristinae damnum fecerunt. Immo ipsius formae ac modi commoditate eo latius divulgati esse videntur. Poëtarum inprimis opera, quae et metri necessitate et compositionis poëticae ratione satis defendebantur, ne grammatici adderent quid vel transponerent vel carminum et cantuum singulorum in fine vel exordio prooemia aut conclusiones adiungerent, hac quoque maioribus ex voluminibus

1) Apertum est his magnis voluminibus solis in edendis magnis operibus usos fuisse scriptores, uti e. gr. historiam vel philosophicam maiorem et continuam disputationem in uno conscriberent volumine nulla divisione facta. Disputatiunculae vero aut orationes aut carmina singula certe ipsa per se aptis voluminibus edebantur; ad hanc rem illud „oder doch vorgeherrscht" Birtii referendum est. Ceterum duplex editores Alexandrini habuerunt postea pensum et illa volumina nimis magna in singulos libros dissecandi (e. gr. Platonis rempublicam, Aristotelis historiam animal.) et singulas quoque disputationes in uno volumine congerendi ea ratione habita, ut haec nova volumina neve sicut priorum pleraque nimis grandia neve nimis exigua fierent, sed aequale circiter spatium omnia complerent; de quibus omnibus in disputatione nostra infra accuratius agemus. (cfr. infra pag. 26 et sq.)

in minora transcriptione vix commutabantur. Singula autem minora et forte per se iam edita carmina in uno volumine coniungere nihil habebat difficultatis, neque periculum erat, ne carmina ipsa hac re aliquo modo mutarentur. Non secus oratorum quoque singulae orationes totum quoddam efficiebant. Quare prout maior aut minor aliqua erat oratio, ita una unum poterat expleri volumen aut plures eaeque minores apte in uno volumine conscribebantur, ut periculum abesset, ne contextus orationis ipse additamentis foedaretur.

Multo aliter res se habebat in rerum scriptoribus transcribendis ex uno satis magno volumine in plura minora volumina. Nam eorum narratio continua tum in partes aliquas dissecaretur necesse fuit; quae quidem partes optime ad sensum factae esse poterant et eas apte distribuere haud exigua certe grammatici arte studebant.[1])

Eidem in ipso alicuius voluminis fine conclusionem certe designare et maiorem ad lectorum opportunitatem, quae antecedenti tractata erant volumine, in exordio libri insequentis summatim repetere[2]) aut in fine libri summam breviter in lectoris memoriam revocare atque sic totum volumen quasi corrotundare solebant. Hoc autem multo difficilius sane erat in philosophorum scriptis, quae multo pauciora ex se ipsis afferebant adminicula ad eam librorum divisionem apte instituendam, ut ea in libros distributio saepius veluti e. gr. in Platonis Republica inepta ac fere demens fieret.[3])

His in commune praemissis ad Aristotelis opera hac de re inquirenda accedamus.

Seiungenda hac in re illa opera sunt, quae ipse Aristoteles edidit, quae librorum divisioni grammaticorum arbitrio instituendae fortius certe repugnabant. Haec esse dialogos imprimis et illa opera, quae ipse Aristoteles *λόγους ἐξωτερικοὺς* vel *ἐκδιδομένους* vel *ἐν κοινῷ γιγνομένους* nominat (cfr. Ethic. Nicom.

1) Cfr. quae supra de Herodoto, Thucydide, Xenophonte in libros divisis exposuimus; deinde Birt. l. c. pag. 469 et. seq. adnot.

2) Praeclarissimum exemplum offerunt Xenophontis Anabasis librorum singulorum exordia. —

3) Cfr. Christ. l. c. pag. 385.

1102a 26; 1140a 3; Pol. 1278b 32; 1323a 22—23; Metaphys. 1076a 28; de anima 407b 29 etc.) Bernaysius „Die Dialoge des Aristoteles“ acutissime demonstravit. Ab his igitur separanda sunt, quae ipse Aristoteles inedita et imperfecta reliquit, quae ἐσωτερικὰ vel πραγματικὰ vocant. Quorum in numero politica sunt.

De his mira quaedam fabula cellae cuiusdam Scepiensis a veteribus memoriae prodita est. Strabon XIII. 1. 54. pag. 608 sequ. et Plutarch. Sulla 26. (Sintenis vol. II. pag. 450. 3—20.) Qua de re cum Stahrius Aristotelia II. p. pag. 18—162, deinde Hildenbrandius, Zellerius, Onckenius l. s. c. copiose egerint nuperrimeque Littig: „Andronikos v. Rhodos I. Th., Progr. d. Maxgymn. München 1890“ pag. 8—13 iterum disseruerit, hodie vix quisquam dubitet, quid fidei illi narrationi habendum sit. Brevissime primarias hac de re sententias complexus Birtius l. c. pag. 458 adn. 2. dicit: „Dass die Akroasen bis auf Tyrannio unbekannt waren, ist falsch (vgl. Zeller S. 146), somit auch die ganze Geschichte vom Keller in Skepsis; Neleus verkaufte die Bücher an Philadelphos;[1]) (Athen. S. 3 B). Dass in Alexandria dann eine Edition gemacht wurde, deren Bestand die Kataloge des Diogenes und Anonymos nach Hermippos darstellen, ist besonders von Heitz dargethan worden.“

Sic remittimur ad Alexandrinos illos grammaticos; sed cum inter ipsos et Aristotelis mortem aliquod spatium intersit, quid hoc tempore de Aristotelis scriptis factum sit ineditis, interrogare possumus. Hac de re ab veteribus ipsis fere nihil memoriae proditum est. De metaphysicis tantum aliqua exstat narratio apud Asclepium (Schol. Ar. 519 B. 38 sequ.), quocum congruit Alexander Aphrodisiensis ad Metaphysica 760 B. 17 ed. Berol. idem ferme referens. Asclepii locum integrum hic referre non inutile esse videtur, cum ex eo ipso, quales omnes

---

1) Quomodo Littig l. c. pag. 12 adnot. 1 de hoc Birtii loco dicere possit: „Keinenfalls darf man so weitgehende Folgerungen auf diese Stelle bauen, wie es Birt (d. a. B. etc.) S. 458 A 1 thut, der eine alexandr. Ausgabe des Aristoteles lediglich auf grund dieser Erwerbung annehmen möchte“ non intellego. Nam ubi illud „ledigl. auf gr. d. Erwerbg.“ in Birtii verbis supra allatis reperiendum sit, non video.

eiusmodi veterum sint traditiones, facile perspiciatur. Locus Asclepii (Schol. Ar. 519. B. 38, edit: Hayduck pag. 4 lin. 4 et seqq.) est hic: *Ὁ δὲ τρόπος τῆς συντάξεως, ὅτι ἐστὶν ἡ παροῦσα πραγματεία οὐχ ὁμοίως ταῖς ἄλλαις ταῖς τοῦ Ἀριστοτέλους συγκεκροτημένη οὐδὲ τὸ εὔτακτόν τε καὶ συνεχὲς ἔχειν δοκοῦσα, ἀλλά τινα μὲν λείπει ὡς πρὸς τὸ συνεχὲς τῆς λέξεως, τὰ δ' ἐξ ἄλλων πραγματειῶν ὁλόκληρα μετενήνεκται καὶ πολλάκις τὰ αὐτὰ λέγει. ἀπολογοῦνται δὲ ὑπὲρ τούτου καὶ καλῶς ἀπολογοῦνται, ὅτι γράψας τὴν παροῦσαν πραγματείαν ἔπεμψεν αὐτὴν Εὐδήμῳ τῷ ἑταίρῳ αὐτοῦ τῷ Ῥοδίῳ· εἶτα ἐκεῖνος ἐνόμισε μὴ εἶναι καλὸν ὡς ἔτυχεν ἐκδοθῆναι εἰς πολλοὺς τηλικαύτην πραγματείαν. ἐν τῷ οὖν μέσῳ χρόνῳ ἐτελεύτησε καὶ διεφθάρησάν τινα τοῦ βιβλίου. Μὴ τολμῶντες δὲ προσθεῖναι οἴκοθεν οἱ μεταγενέστεροι διὰ τὸ πολὺ πάνυ λείπεσθαι τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐννοίας μετήγαγον ἐκ τῶν ἄλλων αὐτοῦ πραγματειῶν τὰ λείποντα, ἁρμόσαντες ὡς ἦν δυνατόν. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τούτοις σωζομένην εὕροι ἄν τις τὴν τῶν λεγομένων ἀκολουθίαν.*" [1])

Hunc locum accuratius cum examinaverimus, ingeniose eam narratiunculam, qua status metaphysicorum declararetur, a grammatico aliquo ita inventam esse, ut vera falsis misceret, vix negabimus. Nam etsi hoc loco copiose, qua ratione in metaphysicis editores separatas primo commentationes similem tractantes materiam in unum coniunxerint corpus, illustratur, tamen ob eam causam, quod tam definite nomina afferantur causaque aliqua libri non antea editi quaeratur, utique haec ipsa fabula dubia et suspecta est. Spuriam autem esse illam quoque Alexandri apud Gellium XX. 5 epistolam hodie vix quisquam infitietur. Quare non dubito assentiri Birtii sententiae l. c. p. 477 prolatae: „Wer die Litteraturgeschichte der voralexandrinischen Zeit durchgeht, erkennt bald genug, dass sich, mit Absehung des Dramas, für welches die Didaskalien halfen, keine einzige Notiz über die Textgeschichte der Autoren als wirklich stichhaltig erweist; was die Späteren erzählen, trägt

1) Brevius idem Alex. Aphrod. l. c. memorat: „*καὶ οἶμαι καὶ ταῦτα ἐκείνοις ἔδει συντάττεσθαι καὶ ἴσως, ὑπὸ μὲν Ἀριστοτέλους σύντέτακται (ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ τῶν ἄλλων αὐτοῦ πραγματειῶν εὑρίσκεται τοιοῦτόν τι πεποιηκὼς ὁποῖα ἐνταῦθα φαίνεται) ὑπὸ δὲ τοῦ Εὐδήμου κεχώρισται.*"

durchgängig den Character der Rekonstruktion, Hypothese oder Erdichtung, d. h. über Editions- und Redaktionsverhältnisse hat eine Tradition bis zu den Alexandrinern gar nicht bestanden."

Sic omni certa et indubia traditione destituimur et in medio relinquimus, utrum iam Theophrastum acroases Aristotelias nonnullas edidisse credere velimus an potius illa scripta in ipsa philosophi schola tradita, Alexandrina demum aetate in vulgus emissa esse statuendum censeamus. Sed utcunque haec res se habet, illud certum esse videtur Alexandriae politica Aristotelis edita esse.[1]) Hoc ut probemus, reccurramus ad illos Aristotelis operum indices, quos ab antiquis traditos habemus. Quorum potior et antiquior ille catalogus est, quem Diogenes Laertius V 21—28 nobis conservavit, qui Alexandrinorum bibliothecae libros ex Hermippi indice nobis refert. Huic supplendo habemus in vita cuiusdam anonymi: *Ἀριστοτέλους βίος καὶ συγγράμματα αὐτοῦ* inscripta primum ab Aegidio Menagio evulgata ob eamque rem Menagiana nominata alterum indicem, qui, ut satis probabiliter a Rosio (De Aristotelis librorum ordine et auctoritate, Lips. 1854, pag. 40) demonstratum est, ex Hesychii opere de clarissimis viris repetitus est, Diogenisque catalogum ita supplet, ut saepius complura opera bis afferantur numerusque librorum non semel dissentiat.[2]) (cfr. Christ. l. c. p. 399 adn. 7.) Tertius index[3]) ex Arabicis fontibus haustus est, quem in versione Arabica libri Ptolemaei Chenni „de Aristotele et scriptis eius" invenimus.

Ut ab hominibus doctis magna auctoritate demonstratum est, is index Andronici Rhodii refert catalogum, qui Ciceronis aetate novam Aristotelis operum editionem curavit, cui editioni

---

1) Birt. pag. 479: „Unter dem Besprochenen sind es vor allem des Aristoteles Akroasen, die uns bestimmt mit ihrer ersten Edition an Alexandria wiesen." dicit, sed documenta affert nulla; ceterum num vere primum Alexandriae edita sint Aristot. opera, non minus dubium est, quam utrum omnia an singula, nam de singulis operibus singillatim hoc inquirendum esset.

2) Vide contextum horum indicum in edit. Berol. Aristotelis V pag. 1463 et seq.; edit. Parisin. (Didot. 1869.): Fragmenta Ar. pag. 1—13.

3) Cfr. Littigii prgr. cit. pag. 38—42 (append.).

eum, quem hodie habemus Aristoteliorum librorum contextum, debemus. (cfr. Christ. l. c. p. 400 et adnot; Littig. in progr. supra laudato.)

Quorum indicum comparatione certe id concludi posse apparet, utrum hoc vel illud Aristotelis opus Alexandrinis iam temporibus editum sit, an Andronici demum aetate an ab utrisque. Politica autem affert Diogen. ind. 75: *πολιτικῆς ἀκροάσεως ὡς ἡ*[1]) *Θεοφράστου α' β' γ' δ' ε' ς' ζ' η'*. An. Menag. (ed. Paris.) 61. *πολιτικῆς ἀκροάσεως κ'*;[2]) Ptolem. Chenn. (sec. version: Steinschneideri ed. Berol. pag. 1471) 32: l. de regimine civitatum etc. Tr. VIII.[3]) (vers. lat. in ed. Paris.) „de re publica libri VIII." Hoc consensu utique illud colligi potest et ab Alexandrinis et ab Andronico politica edita esse; ex numeri octo librorum verum consensu et apud Diogenem et apud Ptol. Chenn. — nam An. Menag. *κ'* ex facili confusione litterarum *η'* et *κ'* (simill. in minusc. saecul. 9 et 10. cfr. Wattenbach.) ortum esse videtur — illud sequitur librorum divisionem primum ab Alexandrinis institutam ab Andronico receptam esse. (cfr. Birt. l. c. pag. 458 sq.)

Nunc vero quomodo illa in libros divisio omnino fieri potuerit, accuratius videamus. Ac primum quidem spatii ratio habenda fuit, nimis magnorum voluminum corpus in plures minores ac forte inter se ferme aequales partes dissecandum erat i. e. ex uno magno volumine multi minores libri erant efficiendi.

Duplici vero modo is, qui opus edendum concinnavit, id instituere potuit: Aut enim operis partem aliquam ita per se ipsam definitam ac terminatam invenit, ut totum quoddam i. e. unum efficeret librum: tum librorum divisio facillima sane erat; nam, nisi nimis magni spatii illa pars fuit, unum librum ex illa fecit, paucis interdum adiunctis verbis, quibus hic liber cum insequenti coniungeretur; aut eam partem per se ipsam absolutam non invenit; tum divisio multo sane difficilior erat, cum longa disputationum series tam continuo cohaereret, ut nec hic nec illic ab ipso auctore pars aliqua significata esset, totum autem in unum redigere librum nimio voluminis spatio

---

1) Cfr. Zeller pag. 679 l. c. Christ. l. c. pag. 415 adn. 4.

2) Ed. Berol. 1467: Hesych. 70 *πολιτικῆς ἀκροάσεως ι'*.

3) Littig l. c. p. 39: 32. *πολιτικῶν ι'*.

vetaretur. Tunc erat quaerendum, quibus apte locis unus liber definiri posset. Qua in re non solum spatium respicere, sed etiam rerum tractatarum sententiam plane intellegere ipsasque recte et concinne disponere opus erat. Atqui non omnes ea facultate praediti erant. Ita accidit, ut velut in Platonis Republica perverse saepe et inepte libri dividerentur. Sed non solum totum quoddam dividere, sed etiam singulas partes coniungere illorum grammaticorum fuit. Ad eam quaestionem tractandam adducimur, cum, quo in statu illi editores plurimas Aristotelis acroases invenerint, consideramus. Nam usque ad Alexandrinorum aetatem nullam earum editionem factam esse supra demonstravimus. [1])

Aristotelis igitur scripta vel archetypa vel discipulorum manu scholarum in usum consignata ad illos pervenerunt grammaticos. Quorum scriptorum haud exigua pars artes quaedam fuerunt earum rerum, quas philosophus in scholis tractabat. Multa igitur propriae singularum rerum disputationes fuisse videntur. Has disputationes autem breves, quae cunctae unam vel similem tractarent rem, in unum coniungere opus et in uno volumine componere editoris erat.

Deinde plures tales libros, quibus de rebus continuis ageretur, inter se conectere et corpus quoddam efficere proximum erat. Nam illi grammatici non dissecare modo, sed etiam componere ac coniungere optime sciebant atque sic illas, quas vocant, *πραγματείας* ortas esse Birtius primus copiose monstravit. Cum autem librorum divisio et complurium librorum in unum corpus i. e. *πραγματείαν* coniunctio ita inter se cohaereant, [2]) ut vix separatim tractari ac declarari possint, hic illa quoque singulos

---

1) Cfr. Birt. l. c. pag. 457—458.

2) Proximum certe fuit ex singulis dissertationibus singulos libros efficere; sed ea ratione tum solum uti poterant, cum spatii aequalitate singulae disputationes inter se fere congruerent; sed cum exigui spatii disputationes cum aliis multo longioribus in complures libros, qui universi unam efficerent *πραγματείαν* distribuendae essent, tum fieri potuit, ut hic singulae singulos libros efficerent disputationes, illic una eaque maior disputatio spatii ratione habita in plures dissecaretur partes. Sic et dividendi et coniungendi editoris munus in uno *πραγματείας* corpore componendo apparere potest.

libros in πραγματείας congerendi ratio diligentius inspiciatur. Notabilem hac de re nobis praebet locum Porphyrius in vita Plotini C. 24 (pag. 23 ed. Müller):[1] Ἐπεὶ δὲ αὐτὸς (sc. Plotinus) τὴν διάταξιν καὶ τὴν διόρθωσιν τῶν βιβλίων ποιεῖσθαι ἡμῖν ἐπέτρεψεν, ἐγὼ δὲ κἀκείνῳ ζῶντι ὑπεσχόμην καὶ τοῖς ἄλλοις ἐπηγγειλάμην ποιῆσαι τοῦτο, πρῶτον μὲν τὰ βιβλία οὐ κατὰ χρόνους ἐᾶσαι φύρδην ἐκδεδομένα ἐδικαίωσα, μιμησάμενος δ᾽Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀθηναῖον καὶ Ἀνδρόνικον τὸν περιπατητικόν, ὧν ὁ μὲν Ἐπίχαρμον τὸν κωμῳδιογράφον εἰς δέκα τόμους φέρων συνήγαγεν, ὁ δὲ τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου εἰς πραγματείας διεῖλε τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταὐτὸν συναγαγών· οὕτω δὴ καὶ ἐγὼ πεντήκοντα τέσσαρα ὄντα ἔχων τὰ τοῦ Πλωτίνου βιβλία διεῖλον μὲν εἰς ἓξ ἐννεάδας τῇ τελειότητι τοῦ ἓξ ἀριθμοῦ καὶ ταῖς ἐννεάσιν ἀσμένως ἐπιτυχών, ἑκάστῃ δ᾽ἐννεάδι τὰ οἰκεῖα φέρων συνεφόρησα κ. τ. λ. Hic igitur Porphyrius rationem suam 54 Plotini singulares dissertationes in sex enneades coniungendi cum illa comparat ratione, qua Apollodorus in Epicharmi, Andronicus in Aristotelis scriptis distribuendis usi sint. Sed Andronicus ipse praecedentium se Alexandrinorum exemplum secutus esse videtur, ut forte hoc loco omnino grammaticorum illorum singulas commentationes in πραγματείας coniungendi industria describatur. Singulares igitur disputationes (τὰς οἰκείας ὑποθέσεις) in maius quoddam corpus e. gr. ἑξάδας vel ἐννεάδας conferebant (συνεφόρησα) et sic, cum libri eiusdem generis res tractantes coniungerentur (συναγαγών), pragmatias, quas vocant, apte distributis singulis disputationibus atque ordinatis efficiebant (διεῖλον). Atque eadem ratione Aristotelis quoque πραγματείας Alexandrinorum primum aetate ortas, deinde Romanorum Peripateticorum opera renovatas et emendatas, denique usque ad medium, quod dicitur, aevum propagatas aliterque ab aliis institutas et ordinatas esse, quis non verisimillimum existimet?

---

1) Cfr. Littig l. c. p. 13 et 14; Birt. pag. 459 l. 6: „Nehmen wir diesen Vergleich genau, so wäre eine Pragmatie des Aristoteles also, wie eine Enneade Plotins, nach Andronikos' Anordnung eine Sammlung von Monographien und zwar verwandten Inhalts. (vid. etiam l. c. p. 459 adnotat. 3).

Optime enim convenit ea ratio in physica, metaphysica, ethica, politica Aristotelis. (cfr. etiam Birt. l. c. pag. 459 et adn. 3.) Zeller: D. Ph. d. Gr. II 2 pag. 56 adn. 4: „Die Metaphysik besteht nach den Untersuchungen von Brandis (Abh. d. b. Ak. h. phil. Kl. 1334 u. gr. röm. Phil. II. 6541 u. Bonitz a. a. O. S. 335), denen ich mich im wesentlichen anschliesse, neben einigen unächten Stücken aus mehreren miteinander in keinem unmittelbaren Zusammenhang stehenden, zum Theil gar nicht für das gleiche Werk bestimmten Abhandlungen."

Idem pluribus exponit verbis l. c.: 3 ed. pag. 80 et 81 adn. 2. — Similiter Bernays Dial. pag. 42: „Die Metaphysik ist ein aus getrennten Stücken des Aristotelischen Nachlasses zusammengefügtes Werk" et pag. 43: „Da die Bestandteile unserer Metaphysik nicht von Aristoteles selbst zu einem Werke vereinigt sind und also nicht undenkbar ist, dass er die verschiedenen Bücher unserer Redaktoren als gesonderte Schriften zitierte. etc. etc."

Paulo cautius idem exponit Christ in editione Metaphysicorum Teubn. 1886 praef. pag. XVII: „Verba ipsa philosophi tam scite ab Andronico Rhodio, cuius editioni propagationem totius operis debere videmur, constituta atque disposita." De physicis autem Birtius l. c. pag. 459 adn. 3 recte dicit: „So steht in der Physik Buch VII fälschlich und vom sechsten erfahren wir: *ὅτι τὸ νῦν προκείμενον βιβλίον τῇ τάξει μετὰ τὸ πέμπτον ἐστὶ δηλοῖ μὲν καὶ ὁ Εὔδημος ... καὶ Ἀνδρόνικος δὲ ταύτην τὴν τάξιν· τούτοις τοῖς βιβλίοις ἀποδίδωσιν.* (Simplic. phys. S. 404. B. 38)." Hoc quoque ex eo loco comperimus eam, quam nunc habemus physicorum formam, ab Andronico perfectam esse. Simile quid et de ea, quam Alexandrini fecerunt, editione statuere debebimus. (cfr. ind. Ptol. 34 *φυσικῆς ἀκροάσεως ή*, Menag. 148 *φυσικῆς ἀκροάσεως ή*; Diogen. 90: *περί φύσεως α' β' γ'*, cuius numeri diversitas, utrum librarii errori attribuenda an potius diversae recensionis vestigium sit, dubito). Non aliter ethica se habere videntur. Nam, si Magna et Eudemia transimus et Nicomachia, quae hominum doctorum consensu ferme omnium maxime ad ipsum Aristotelem referuntur, consideramus, creberrimis patet locis, quam laxe et

solute partes singulae coniunctae sint. Monuisse hic satis esto libros VIII. et IX., quibus de amicitia agitur, omnino separatae disputationis speciem prae se ferre. Nam etsi illud in medio relinquo, utrum illa scripta, quae ind. Diogen. 24 *περὶ φιλίας α'* et Men. 24 *περὶ φιλίας α' β' γ'*; Ptol. ind. 25 *περὶ φιλίας γ'* afferuntur, nostri VIII. et IX. ethicorum libri sint, an potius de amicitia dialogus, hi ipsi libri propria de amicitia commentatio primo fuisse videntur, ut fere sine ulla vi ab reliquo opere separari possint, cum ab grammaticis pragmatiam componentibus paene nihil coniungendi gratia additum sit. Liber enim VII. cap. 15 ita concluditur: *Περὶ μὲν οὖν ἐγκρατείας καὶ ἀκρασίας καὶ περὶ ἡδονῆς καὶ λύπης εἴρηται.* (Iam supra cap. 11 terminatur: *τί μὲν οὖν ἐστι ἐγκράτεια καὶ ἀκρασία ... καὶ μαλακία ... εἴρηται*, cap. 12 incipit: *περὶ δὲ ἡδονῆς καὶ λύπης θεωρῆσαι* etc. Illa igitur in fine libri VII. dictorum quam brevissima repetitio nihil aliud est quam hi duo loci in unum coniuncti.) Huic autem conclusioni adseritur: *λοιπὸν δὲ καὶ περὶ φιλίας ἐροῦμεν.* Quibus verbis si exordium libri insequentis VIII. contuleris: *Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ φιλίας ἕποιτ' ἂν διελθεῖν*, hoc modo in uno opere duas proxime sequentes partes coniungi utique non potuisse facile intellegas. Alexandrinorum vero libros dividendi rationem si respexeris, illud, quod antea fieri potuisse negaveris, neque absurdum neque mirum videbitur. Nam illi, uti supra exposuimus, uno volumine finito illorum, quae sequenti continerentur, libro breviter praemonere et in exordio novi libri illam monitionem maiore cum lectoris opportunitate repetere solebant, ut qui novum librum evolveret, illud *μετὰ ταῦτα περὶ φιλίας ἕποιτ' ἂν διελθεῖν* quasi pro titulo quodam legere posset. Sic mira illa sane incipiendi et concludendi iisdem ferme verbis ratio facile intellegitur, quamque obiter nonnunquam grammatici libros diviserint, perspicue cognoscitur. Item si libri IX. initium accuratius inspiciemus, quantopere spatii tantum ratione habita saepissime divisum sit, patebit. Nam nulla alia causa coactus ille, qui libros in hanc formam redegit, post verba cap. 16 *περὶ μὲν οὖν τούτων ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω* librum conclusisse et *ἐν ἁπάσαις δὲ ταῖς ἀνομοιοειδέσι φιλίαις* etc. simplici particula *δὲ* novum librum inchoasse vide-

tur. Neque enim minus apte II. vel III. vel IV. libri noni capitulo librum fortasse incipere potuit. Eandem rationem, qua ad coniungendos libros VIII. et IX. cum libro VII. usus est, extremo libro nono secutus est. Nam verbis *περὶ μὲν οὖν φιλίας ἐπὶ τοσοῦτον εἰρήσθω· ἑπόμενον δ' ἂν εἴη διελθεῖν περὶ ἡδονῆς* concluditur liber IX. Incipit vero liber X. *Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ ἡδονῆς ἴσως ἕπεται διελθεῖν*, ubi pro *περὶ μὲν οὖν* etc. *εἰρήσθω* simpliciter *μετὰ δὲ ταῦτα* posita sunt; *ἕπεται* autem cum *ἑπόμενον*, *διελθεῖν* cum *διελθεῖν*, *περὶ ἡδονῆς* cum *περὶ ἡδονῆς*, *ἴσως* cum *ἂν εἴην* i. e. omnia ad verbum fere congruunt. Hoc ad eam intolerabilem aliter repetitionem verborum fere eorundem in fine et exordio librorum proxime sequentium declarandam satis esto dictum. Ceterum grammaticos in pragmatiis coniungendis proprias primo disputationes coniunxisse maxime est verisimile. Sic in ethicis eam, quae de amicitia est, commentationem peculiarem ante fuisse non levibus argumentis conici possit. Nam qui omissis illis in exordio libri VIII. et in fine libri IX. verbis hos duos libros per se perleget, vix ullo modo cum prioribus illos cohaerere admoneatur. Immo prolationibus locorum in his ipsis semper ad aliquem librorum horum locum remittimur, nusquam ad priores. E. gr. illud *καθάπερ εἴρηται* c. 1. l. IX. refertur ad c. 13. l. VIII. Luculentius etiam probatur sententia nostra his locis: cap. 11. l. VIII. *καθάπερ ἐν ἀρχῇ εἴρηται.*" Illa *ἀρχὴ* autem est exordium „de amicitia dissertationis" sc. c. 1. libri VIII. Cap. 9. l. IX: *καθάπερ ἐν ἀρχῇ εἴρηται* item *ἐν ἀρχῇ* significat cap. 2. l. VIII., quibus locis si illud *ἐν ἀρχῇ* scriptum fuisset, cum una iam *πραγματεία* ethica essent, ad primum potius totius corporis librum referri debuisset, cum hic aperte his verbis initium de amicitia commentationis propriae significetur, sicque hos duos libros postea demum reliquo ethicorum corpori iniunctos fuisse demonstretur.[1])

Haec exempla ad illam libros componendi et dividendi

---

1) Birtius l. c. pag. 459 adn. 3 librum V.—VII. quoque primo perculiare opus fuisse sentit, cum dicat: „Derselbe dreibücherige Complex ist sowohl der Eudem. wie der Nicomachischen Ethik einverleibt (Eudem. IV—VI = Nicomach. V—VII)."

rationem explicandam interim sufficiant. Ceterum singillatim hac de re singula tractanda opera. Nam quis e. gr. id, quod de ethicis, eodem modo de topicis dicat? De politicis vero interim hoc proponamus: „Politica, qualia quidem nunc habemus, ex coniunctis pluribus primo separatis disputationibus orta sunt,[1]) eaque coniunctio et inprimis in pragmatiam totius operis compositio ab Alexandrinis primo instituta librorumque divisio ab iisdem facta est;[2]) id quod ab Andronico Rhodio similiter renovatum est, secundum cuius recensionem inprimis politica ad nos pervenerunt."

Quod ut accuratius exponamus inprimisque, quantum ab ipso iam Aristotele perfectum et coniunctum esse credamus, copiosius demonstremus, postea singulos politicorum hac de re libros inspiciemus. Nunc pauca in universum praemittamus. Politica nostra ex pluribus separatis primo disputationibus orta esse antiquiorum operis editorum aut commentatorum nemo fere protulit. — Unum huius rei vestigium mihi praebet locus quidam a St. Hil. Barth. in praef. ed. s. c. p. LII allatus: „Ce serait ici le lieu d'examiner, si la Politique n'est, comme on l'a dit (M. Michelet: „Examen de la Métaphysique" pag. 209 Paris 1836), „que la réunion de plusieurs traités, composés d'abord séparément et mis ensuit bout à bout" i. e. politica nihil aliud esse nisi complures dissertationes primo separatim compositas, postea in unum corpus coniunctas. Micheleti opus expedire mihi non potui, quare hunc Barthelemii locum attulisse sufficiat. Certe igitur auctor ille similem nostrae sententiam protulerat, sed illud ex eo loco non patet, utrum has commentationes ab ipso Aristotele, an a posterioribus coniunctas existimet. Barthelemius eam opinionem omnino non probat. Nam ita l. c. pergit: „C'est du moins ce qu'on a soutenu avec une assez grande apparence de raison pour la Métaphysique; mais je ne pense pas que ce système de composition, qui doit

1) Quarum disputationum non exiguam partem Aristoteles ipse in unum opus coniungere coepit, sed non perfecit.

2) Iam ab Alex. gramm. nostram in VIII libros divisionem institutam probatur ind. Diogen. 75, qui sicut Ptolem. ind. 32, VIII affert politicorum libros; nam Menag. x, ut iam supra monitum, nonnisi librarii errore explicandum est.

du reste à première vue paraître assez étrange, puisse être appliqué le moins du monde à la Politique." His verbis autem ad eam sententiam refutandam nihil certe confert, sed cum in expositione proxime sequenti l. c. p. LIII. vanos et irritos Samuelis Petiti (Observation. lib. III., Paris. 1616) conatus idem de analyticis et topicis probandi commemorat et hac in re Diogenis Laertii indicem ut truncum et imperfectum vituperet, Micheletium et Samuelem Petitum ad sententias suas probandas ad Diogenis inprimis indicem recurrisse satis apparet.

Sed quamvis libenter concedamus Diogenis Laertii non minus quam Menag. Anonymi catalogos multis locis pro testibus absolute certis non habendos esse, tamen ex ea re Barth. monitio, ut illo irrito conatu deterreamur idem statuere de politicis, confirmari non potest. Nam ex titulis indicum, qui non semel, ut a Bernaysio satis demonstratum est, ad dialogos referendi sunt, solis nihil vel non multum probari potest; immo ex statu operis ipso argumenta repetenda sunt; deinde, quod de topicis et analyticis, quae neutiquam e singulis commentationibus composita mihi quidem videntur, demonstrari nequit, cur non idem de politicis multo aliter se habentibus probari possit?

Praeter hunc Barthelemii locum hac de re nihil inveni usque ad Birtium, qui l. c. pag. 459 et 460 in adnot. 3 de politicis ita dicit: „So ist in der Politik Buch VII von III durch Einschub von verschiedenen zusammenhängenden Abhandlungen abgetrennt, deren überlieferte Reihenfolge jedoch gleichfalls lebhaft bestritten ist. An fünfte Stelle ist eine Specialabhandlung über die Veränderungen der Staatsformen getreten, die hinter dem Umfang der umstehenden Bücher weit zurückbleibt; endlich steht auch B. I lose für sich."

Statuit igitur politica nostra orta esse ex compositis compluribus continuis disputationibus additisque singulis commentationibus aliquot; sed cum documenta nulla afferat, rem significasse magis quam demonstrasse videtur. Ceterum quoad eius sententiae assentiamur, paulo infra accuratius videbimus. Hic interim illud monere libet, prorsus me intellegere non posse, quid illud enuntiatum sibi velit, quo librum V. spatio

ceteris multo minorem esse („... die hinter dem Umfang der umstehenden Bücher weit zurückbleibt.“) contendat. Nam si e. gr. paginarum numerum librorum singulorum in edit. acad. Berol. infra appositum inspiciemus, facile contrarium esse verum videbimus. Nam in illa editione complentur

libro	I.	paginae	9	
„	II.	„	14	
„	III.	„	14	
„	IV.	„	12	
„	V.	„	16	(!)
„	VI.	„	6	
„	VII.	„	14	
„	VIII.	„	6.	

Hac ex comparatione primo patet aspectu librum quintum, quo de mutandis agitur rebus publicis, immo spatio esse amplissimum. —

Ceterum hos numeros cunctos hic apposuisse haud inutile existimamus, cum infra illis in argumentatione usuri simus. Sed haec hactenus!

Nunc vero agendum est de Christii sententia, quam „Gesch. d. gr. Litt. 2. Aufl.“ § 304 pag. 415 adn. 4 profert.: „Ich vermute, dass Aristoteles nur mehrere ursprünglich für sich bestehende Tractate, wie: *περὶ οἰκονομίας* (B. I), *περὶ ἀριστοκρατίας* (VII 4—VIII), *περὶ τῶν ὑπαρχουσῶν πολιτειῶν* (B. IV—V mit Nachtrag von B. VI), und die Anfänge einer zusammenfassenden Darstellung (I. 1. 1., II., III., VII. 1.—3.) hinterlassen hat. Die Zusammenfassung der Teile scheint Theophrast besorgt zu haben, da einige denselben geradezu für den Autor des Werkes ausgaben; s. Hesychius ind. libr. Arist. *πολιτικῆς ἀκροάσεως* [*ὡς*] *ἢ Θεοφράστου.*“ Hoc igitur loco Christius simile quid ac Birtius de politicorum ex singulis commentationibus compositione suspicatur, at non editorum modo opera coniunctionem institutam, sed ab Aristotele ipso inchoatam, quamvis non perfectam opinatur. Quamquam autem huius sententiae documenta ex ipso opere repetita affert nulla, tamen, qua ratione ea compositio facta esse sibi videatur, certe atque defi-

nite dicit.[1]) Qua de re infra ipsi copiosius disseremus. Inquirentibus vero, quanam politica composita sint ratione, duo inprimis distinguenda sunt: et quae operis partes, quamvis ex separatis primo constent commentationibus, ab ipso iam Aristotele in unum opus coniungi coeptae sint et quae ab editoribus demum πραγματείαν efficere conantibus huic continuae, quamquam non perfectae, de republica disputationum seriei ex ceteris, quae ab Stagirita relicta eandemque rem tractantia invenerunt, scriptis adiectae et toti operi adaptatae sint.

Quibus praemissis has proponimus theses: 1) Liber primus singularis περὶ οἰκονομίας commentatio est, quae cum reliquo opere ab editoribus ita coniuncta est, ut facile ab toto dirimi et ipsa per se tractari possit. Item liber ex ordine tradito V. peculiaris περὶ φθορᾶς καὶ σωτηρίας πολιτειῶν disputationis speciem prae se fert, ipseque laxe cum ceteris cohaeret. 2) Contra libri: II. III. IV.—VI. VII. VIII. cohaerentem quodammodo disputationum seriem efficiunt, quae iam ab ipso Aristotele coniungi coeptae sunt. Sed illud hodie quoque patet hanc ipsam continuam dissertationem ex peculiaribus primo commentationibus esse compositam. Sic in libro II. Platonicae reipublicae iudicium separatae primo hac de re disputationis fuisse videtur; liber VII. et VIII. περὶ ἀριστοκρατίας singularem dissertationem efficere recte Christius monuit; illud addam mea quidem sententia in libro VIII. reliquias scholarum περὶ παιδείας et inprimis περὶ μουσικῆς peculiarium coniunctas esse. Maxime enim mirum est, quam accurate et copiose hoc loco de musicae homines educandi vi agatur, quae unius rei tam diligens tractatio ad separatam magis convenit disputationem et revera proportione aliarum rerum non minus gravium, sed multo compendiosius tractatarum, satis incongrua est. De libris IV. et V., quos Christius cum VI. περὶ τῶν ὑπαρχουσῶν πολιτειῶν disputationem esse existimat, ita huic assentior opinioni, ut, sicuti iam supra monui, librum V. omnino peculiarem disser-

1) In priore Christii operis edit. haec adnotatio, qua tam expresse de politic. statu agitur, deest. Sed iam tum, cum prima huius disputatiunculae fundamenta iacerem, in similem sententiam brevi post accuratius exponendam incidi. Quam nunc partim viri doctissimi consensu adprobari non exiguo cum gaudio cognovi.

tationem de rebus publicis mutandis a grammaticis edentibus repertam et ab his demum reliquo operi insertam esse credam. Illud quoque verisimile videtur Theophrastum inchoatam ab Aristotele compositionem fortasse perfecisse; sed neutiquam ipse iam totum de republica corpus in hos, quos nunc habemus libros distribuit et pro πραγματείᾳ edidit. —

Immo id Alexandrinorum factum est opera grammaticorum. Hi librum I. et V. addiderunt *(συνεφόρησαν)*, hi librorum divisionem instituerunt *(διεῖλον)* sicque πραγματείαν πολιτικὴν effecerunt ea ratione, quam supra diligentius descripsimus. —

Nam librorum divisionem e. gr. iam Theophrasto ipsi attribuere cum aliis tum hac vetamur causa, quod ea omnino ita formata est, ut grammaticis illis proprium fuisse vidimus, neque ad philosophi ipsius rationem sed spatii potius instituta est. (Ipso paginarum ed. Berol. numero pag. 34 all. aequalitas quaedam spatii singulorum voluminum apparet: lib. II., III., VII. 14 pag., l. V. 16 p., l. IV. 12 p., lib. I. spatio minimus 9 complet pag.; nam libri VI. et VIII., qui sex continentur paginis, mutili et manci traditi sunt, eorumque, quae desunt, defectus[1]) non operi ab Aristotele imperfecto relicto, sed temporum potius iniquitati tribuendus esse mihi videtur.) Idem librorum exordiis et conclusionibus demonstratur. Sed de his in libris singulis explicandis accuratius. —

De librorum vero transpositione ita censeo:

Aristoteles ipse opus non perfecit. Quare quaerere non debemus quomodo ipse libros posuerit, sed qualis ordo statui operis nobis tradito ad sensum magis conveniat. Magis autem huic convenire mihi quidem videtur illa transpositio ab St. Hil. Barthelemio Spengelioque postulata et ab Susemihlio in editione minore politicorum (Susem. $_2$) adhibita. Hanc igitur accipiam.[2])

---

1) Qui quantus sit, aliquatenus ex ceterorum librorum spatio conici posse videtur.

2) Quam si sequemur libr. I. et V., quos a grammaticis demum adiunctos contendi, in exordio et in fine totius operis habebimus, quibus inprimis locis facillime et commodissime addi potuisse illico patet.

Ceterum si illud quaeratur, quomodo omnino librorum ordinem perverti potuisse existimem, sic fere respondeam: Operis totius compositione non perfecta cum casu aliquo ordo librorum a primis editoribus Alexandrinis, fortasse secundum illud, quod ab ipso Aristotele inchoatum invenerunt, recte institutus, a posterioribus, forte Romanis editoribus non iam cognosceretur, hi ipsi voluminum ordinem instituerunt, qui ipsis melior videretur. Hac in re autem complura, quibus novus confirmaretur ordo, addita esse non mirum est sicque librorum ordo nobis traditus originem duxit. Sed ex ea ipsa re, quod huic et illi librorum ordini apta ex ipso opere argumenta repeti possunt, nihil aliud sequitur, nisi politicorum opus tam imperfectum ab Aristotele relictum esse, ut nec hic nec ille librorum ordo absolute defendi aut refutari possit.

His igitur in universum praemissis nunc de singulis libris agendum est.



DATE DUE

